

*Si prius*, vel adest relatio *dependentiæ*, v. g. relatio causæ « ad effectum, sicut cum aliquis memor est patris, et per « hoc occurrit ei filius »; vel est relatio *similitudinis* aut *contrarietatis*, sicut quando aliquis memoratur de Socrate, et per hoc occurrit ei Plato, qui est similis ei in sapientiâ... vel si memoretur Hectoris, et per hoc occurrit ei Achilles (1) »; vel est relatio *continuitatis* cum in spatio, tum in tempore, sicut se revocant imagines rerum quas in eodem loco vidimus, vel quæ sibi immediatè successerunt. Quare tres distinguuntur *causæ* seu *leges* associationis *objectivæ* et *realis*.

*Si posterius*, i. e. si relatio sit mere subjectiva, aut nitatur in quadam conventionem, qualis est v. g. relatio inter *olivam* et *pacem*, jam ad certos numeros revocari nequit, sed totuplex esse potest, quotuplex inter plura statui vel fingi potest relatio, seu ab uno homine, seu a diversis hominibus.

### CAPUT III

#### DE INTELLECTU (2)

De intellectu, nobilissimâ illâ hominis potentiâ, duplex occurrit disputatio, alia *generalis*, quâ intellectûs naturam, objectum proprium, modumque operandi universaliter perscrutemur, et *specialis* aliâ, quâ diversas ejus functiones et singulas operationes sigillatim consideremus.

(1) S. Thomas, *de Memor. et reminisc.*, lect. 5<sup>a</sup>.

(2) Cf. P. Liberatore, *Théorie de la connoiss. intellectuelle*.

### ARTICULUS I

#### De intellectu generatim sumpto.

82. *Notio intellectûs*. Nomen intellectus, ait Angelicus, quamdam intimam « cognitionem importat; dicitur enim in « telligere, quasi *intûs* (juxta alios, *inter*) legere. » (2<sup>a</sup> 2<sup>æ</sup>, q. 8, a. 1, c).

*Quoad rem*, intellectus definiri potest: *facultas cognoscendi res prout universales et immateriales*.

*Dicitur 1<sup>o</sup> facultas cognoscendi*, quibus verbis genus ejus indicatur, quo convenit cum sensibus.

*Dicitur 2<sup>o</sup> cognoscendi res prout universales et immateriales*; unde notatur differentia ejus specifica. Dum enim sensus externa *phænomena* seu facta et physicas qualitates percipiunt, intellectus factorum *legem* et *causam* apprehendit et pertingit ad ipsam rerum essentiam.

Dicemus 1<sup>o</sup> de intellectûs naturâ, 2<sup>o</sup> de illius objecto, 3<sup>o</sup> de illius actu, 4<sup>o</sup> de naturâ intellectionis, ejusque discrimine a sensatione.

#### § I. — De intellectûs humani naturâ.

83. *Assertio*: *Intellectus est facultas spiritualis*.

*Probatur 1<sup>o</sup> ex ejus objecto*. Nam intellectus ad notiones universales assurgit. Porrò ad tales notiones assurgere haud posset si penderet ab organo; quia facultates organicæ ex ipsâ naturâ organi sui habent ut *determinentur ad unum*: v. g. oculus ad colores, auditus ad sonos, et sic de aliis; quippe omne organum ita ad suum munus aptatum est, ut ad alia sit omnino ineptum. — Insuper, multa cognoscit omnino spiritualia, uti Deum, animam, virtutem, quæ sub nullum sensum cadere queunt.

*Probatur 2<sup>o</sup> ex modo quo agit*; pollet enim vi se reflectendi super seipsum suosque actus intuendi; hoc autem nulli potentiæ organicæ competit aut competere potest. Et ratio est quia, vi reflexionis, cognoscens in seipsum redit conversione

*completâ*, ita ut idem omnino sit cognoscens et cognitum. Atqui nulla potentia organica par est ad talem conversionem in seipsam; quia vetat corporum impenetrabilitas ne variæ organi partes aliæ in alias replicentur, a fortiori ne aliæ cum aliis confundantur.

*Probatur* 3<sup>o</sup> quia sequitur diversas leges ac potentiæ organicæ. Sensus enim debilitatur et læditur exuberantiâ sui objecti, ita ut impediri possit sensitio; v. g. solis acie defatigantur oculi et aures nimio fragore. — At intellectus non sic ab organis pendet; non enim debilitatur, at contra roboratur ac recreatur ab excellentia objecti intelligibilis, et vehementer delectatur veritatum altissimarum inventionem ac meditationem. Demum ætate vigorem, maturitatem ac serenitatem acquirit, etiam postquam minutum est sensuum acumen.

#### § II. — De objecto intellectûs humani.

**84. Status quæstionis.** Ut rectè declaretur objectum intellectûs humani, et oppositi scopuli vitentur in quos philosophi plures impegerunt, præ oculis habendum est eum spiritualement esse, sed tamen intimè corpori conjunctum. Quare quærere est: 1<sup>o</sup> quodnam sit objectum intellectûs nostri *adæquatum*, quod scilicet ei convenit, quatenus est intellectus, seu potentia spiritualis; et 2<sup>o</sup> quodnam sit objectum ejus *proprium*, quod ei convenit, quatenus est intellectus intimè corpori conjunctus.

**85. Assertio 1<sup>a</sup>:** *Objectum intellectûs nostri per se spectati, sive adæquatum, est universaliter omne ens.*

*Prob. 1<sup>o</sup> experientiâ*, quâ teste, nihil non subtilitate intellectûs perlustramus, disputamus de mundo variisque variorum corporum proprietatibus atque naturis, mentem nostram perscrutamur, ideas universales acquirimus et componimus, Deum ipsum, quamtumvis excelsum, attingimus ratiocinio, et non tantum quæ sint, sed etiam quæ esse possint vel non possint, calculo animi computamus. — Præterea, si quid particulare attingit intellectus, attingit sub aliquâ ratione communi et universali.

2<sup>o</sup> *Ratione.* — Nam, ex unâ parte, in omni ente sunt respectus quidam universales et immateriales, nimirum essentia in se inspecta; et, ex aliâ parte, intellectus organo non utitur, proinque ad nihil particulare determinatur, sed attingere potest quicquid habet rationem entis, modò tamen ei ritè proponatur. — Hinc habet virtutem quodammodo *infinitam*, et juxta præclarum Aristotelis effatum, *potest omnia fieri*, quatenus in sese recipit similitudines repræsentativas cunctarum rerum.

**86. Assertio 2<sup>a</sup>:** *Objectum primum ac proprium intellectûs humani, conjuncti cum corpore, est rerum materialium essentia (1).*

1<sup>o</sup> *Experientiâ.* — Constat enim cognitionem intellectualem hominis a sensu exordium ducere, circa sensiles res potissimum occupari ac delectari, ad spiritualia ægro conatu ascendere, eaque non intelligi a nobis nisi per *comparationem* ad sensibilia. — Hinc scitum illud Angelici: « Anima humana, corpori unita, aspectum habet, ex unione corporis, ad inferiora directum. » (*Qq. disp. de Anim.*, a. 17). — Nec mirum, quandoquidem ultimum locum inter substantias intellectuales homo tenet, habetque cum materialibus rebus affinitatem et magnam, ex propinquitate, analogiam.

*Prob. 2<sup>o</sup> ratione.* — Objectum intellectûs humani proprium illud est quod respondet ejus indoli et conditioni quâ existit; ut servetur harmonia inter cognitum et cognoscens. Atqui intellectus humanus est quidem spiritualis, sed tamen in corpore subsistit. Ergo propria et primaria ejus operatio est intelligere immateriale in materiâ existens, sive naturam rerum materialium.

*Confirmatur*, quia assignari nequit humano intellectui, in corpore existenti, idem objectum proprium atque Angelis, a corpore separatis. Sed angelicæ mentis proprium est intelligere immateriale purum absolutumque a materiâ. Ergo pro-

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2<sup>e</sup> part., c. 1, a. 3, § 2; *La Vie et l'Hérédité*, 1<sup>o</sup> part., c. 4, a. 1.

prium intellectûs nostri, est intelligere immateriale in materiâ existens.

87. *Corollarium.* Hinc notare præstat *constantiam* theoriæ scholasticæ de cognitione tum sensitivâ, tum intellectuali : sensus enim, quatenus organo corporeo utuntur, materialia apprehendunt; intellectuales omnino substantiæ, ut Angeli, immateriale purum pro objecto proprio habent; intellectus autem hominis, in confinio spiritualium materialiumque rerum positus, propriè speculatur immateriale in materialibus entibus.

88. *Assertio 3<sup>a</sup> :* *Directè universale tantum, indirectè autem, et per quamdam reflexionem, etiam corpora cognoscit intellectus.*

*Assertionis 1<sup>a</sup> pars* probata est in duplici thesi præcedenti; nam sive intellectus universaliter omne ens consideret, sive ad naturam rerum materialium se convertat, semper inspicit quid universale, siquidem et ipsarum rerum materialium natura, ut essentia quælibet, per se abstrahit ab individuis singularibus quibus inhæret, et, abstractionis ope, sub ratione universali intelligitur.

*Prob. 2<sup>a</sup> pars.* Vel enim nullo modo intellectus apprehendit corpora, vel directè, vel indirectè et per reflexionem super actus suos : duo priora dici non possunt; ergo restat 3<sup>um</sup>.

1<sup>o</sup> Asseri nequit corpora *nullo modo* attingi ab intellectu; nam, experientiâ teste, de iis *judicamus*; dicimus enim : Petrus est homo, is equus est animal, et alia hujusmodi judicia proferimus. — Cæterum, objectum intellectûs non potest non comprehendere corpora, cum, ex dictis, comprehendat universaliter omne ens.

2<sup>o</sup> Asseri nequit corpora *directè* percipi ab intellectu, quia corpora non percipiuntur nisi ope organi determinati pro variis sensationibus. Si ergo intellectus ipse directè corpora perciperet, uteretur organo corporeo, ex quo absolutè penderet sicque foret facultas organica, non autem spiritualis.

Ergo restat ut apprehendat illa *secundariò, indirectè*, et per reflexionem quamdam, quatenus reflectitur super actus suos. Hoc autem ita explicatur : intellectus pollet vi reflectendi su-

per seipsum, et proinde cognoscendi actus suos, et quomodo eos exerceat. Atqui intellectus habet proprium objectum ipsas naturas rerum corporearum, quas abstractionis ope separat ab individuis materialibus quibus insunt. Ergo indirectè et per reflexionem, cognoscit ipsa corpora quorum abstrahit essentias. — Et verò, sicut sensus directè cognoscit qualitates corporeas, indirectè autem ac per accidens ipsam substantiam materialem, in quâ percipiuntur qualitates, ita oportet ut intellectus indirectè et per accidens apprehendat individuum corporeum, *in quo* directè universale percipit, nimirum essentiam corporis abstractè inspectam. Scilicet sicut visus percipiens colorem in concreto, indirectè percipit ipsam substantiam cui color inest, ita intellectus considerans, v. g. humanitatem in Paulo, indirectè Paulum ipsum percipit.

*Dixi per quamdam reflexionem;* quia tunc propriè adest reflexio, cum intellectus in proprios actus redit; in præsentia autem quodammodo redit etiam in actum imaginationis cæterorumque sensuum, a quibus immediatè et directè percipiuntur corpora. — Pulchrè admodum D. Thomas : « Mens per « *accidens* singularibus se immiscet, in quantum *continuatur* « viribus sensitivis quæ circa particularia versantur... Mens « redit in cognitionem sui actûs, et ulterius in speciem quæ « est sui actûs principium; et ulterius in phantasma, a quo « species est abstracta, et sic aliquam cognitionem de singulari accipit. » (*Qq. disp. de Mente, q. 10, a 5, c.*)

Quapropter corpora tum sensu, tum intellectu apprehenduntur, sed aliter et aliter; a sensu quidem primariò, directè, materialiter ac prout in seipsis subsistunt; ab intellectu verò secundariò, indirectè, immaterialiter, ac prout ei occurrunt in phantasmatis, ab imaginatione sibi exhibitis, ex quibus propriam accipit materiam.

### § III. — De actu intellectûs humani.

Quoniam operatio intellectûs humani est phænomenon satis multiplex, ad eam efficiendam multa necesse est concurrere, ut sequentibus propositionibus declaratur.

89. PROP. 1<sup>a</sup> *Intellectus humanus, corpori conjunctus, intelligere nequit, quin utatur imaginibus phantasiâ sibi exhibiti (1).*

*Prob. 1<sup>o</sup> ratione.* — Modus cognoscendi respondere debet sive objecto cognito, sive subjecto cognoscenti. Atqui neutri responderet humana intellectio, nisi phantasmatis uteretur.

*Probatur 1<sup>um</sup>,* quia universale, quod est objectum proprium intellectus humani, existit in materiâ, in singulari, ut humanitas in Socrate; unde intellectui repræsentari debet in imagine, quæ singularis ipsius referat similitudinem.

*Probatur 2<sup>um</sup>* luculentâ D. Thomæ argumentatione: « Operatio ratio proportionatur virtuti et essentiæ; intellectivum autem hominis est in sensitivo; et ideo propria operatio ejus est intelligere intelligibilia in phantasmatis. » (*De Memor. et remin.*, lect. 2). « Unde naturaliter non cognoscit aliqua, nisi quæ habent formam in materiâ, vel quæ per hujusmodi cognosci possunt. » (1<sup>a</sup>, q. 12, a. 11, et q. 84, a. 7) (2).

*Prob. 2<sup>o</sup> experientiâ.* — 1. *Indirectè;* deficiente aliquo sensu, deficit scientia omnium quæ ad eum referuntur; v. g. cæcus-natus nihil de coloribus intelligit; item ægro vel læso imaginationis aut memoriæ organo, intellectualis operatio impeditur, ut patet in phreneticis, lethargicis vel alio simili morbo laborantibus; demùm intellectus ex operatione suâ, maximè si fuerit diuturna, solet fatigari (3). Atqui hæc argumento sunt intellectum humanum pendere a sensibus et uti variis imaginibus quas illi præstant.

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 1<sup>re</sup> part., p. 126-128.

(2) « Phantasma, rursus ait S. Thomas, est principium nostræ cognitionis, et ex quo incipit intellectus operatio, non sicut transiens, sed sicut permanens, ut quoddam fundamentum intellectualis operationis, sicut principia demonstrationis oportet manere in omni processu scientiæ, cum phantasmata comparentur ad intellectum ut objecta in quibus inspicit omne quod inspicit. » (*In bib. Boetii de Trinit.* q. 6, a. 2).

(3) « Cùm intellectus in sua operatione minimum utatur corpore, sequitur quòd minimum ejus operationi adveniat labor et fatigatio, quæ nulla essent, si intellectus in speculando non indigeret phantasmatis existentibus in organis corporeis. » (*In X Ethic.*, lect. 10).

2. *Directè;* ut enim experientia testis est, nullam rem corpoream aut incorpoream, concretam aut abstractam intelligimus, quin aliquâ utamur imagine, vel menti occurrat rei nomen; res quidem materiales in propriâ earum imagine intelligimus, immateriales verò, v. g. Deum, animam, per comparisonem ad res materiales; notiones demùm abstractas, v. g. veritatem, bonitatem, pulchritudinem, per comparisonem ad res concretas et singulares ex quibus eas expressimus et utendo etiam quibusdam *comparisonibus, similitudinibus, exemplis.*

Dixi *intellectus humanus corpori conjunctus*, quia modus iste intelligendi per conversionem ad phantasmata, animæ competit ex conjunctione suâ cum corpore. Cessante ergo per mortem illâ conjunctione, novum existendi modum sortietur anima, et proinde novum modum intelligendi, in quo se habebit sicut substantiæ spirituales quas Angelos nominamus.

90. **Corollarium.** Ex thesi sequitur intellectum *immediatè* pendere ab imaginatione, tum quia ipsa, utpote spiritualior aliis sensibus, *immediatè* intellectui conjungitur, tum quia intellectus intelligit res etiam a sensibus remotas, et proinde sibi tantùm præsentis in imaginatione, cujus est rerum vel absentium servare imaginem. Cùm verò, ex dictis, a sensibus aliis ipsa phantasia pendeat, intellectum etiam a sensibus cæteris *mediatè* pendere oportet.

PROP. 2<sup>a</sup>: *Ad actum intellectionis exerendum requiritur intellectus agens (1).*

91. I. *Notio intellectus agentis. Intellectus agens est facultas quæ reddit universalem actu essentiam materialium rerum, quæ in ipsis potentiâ tantùm universalis existit; sive, ut recentes dicerent, intellectus agens est virtus primitiva abstractionis, quæ a particulari abstrahit universale.*

1<sup>o</sup> *Dicitur intellectus*, non quòd ipse intellectionis actum eliciat, sed quòd ei, actione suâ, *immediatè* viam promptam faciat, rem faciendo intelligibilem.

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1<sup>re</sup> part. c. 4, a. 1, § 2.

2° *Dicitur agens*, quia *totus* activus est ac facit objectum suum esse actuale.

3° Vocatur adhuc *lumen intelligibile*; ut enim, in physicis, lumen res visibiles oculis efficit, ita, in spiritualibus, intellectus agens res efficit *intelligibiles*, visibiles scilicet mentis oculo. Quippe qui actione suâ universalem, ac proin intelligibilem facit essentiam rerum materialium, quæ in ipsis individua et singularis est, nec potest, quâ talis, directè apprehendi ab intellectu, cujus objectum est universale et immateriale. — *Confirmatur* ipso communi hominum sermone; solent enim dicere: *lumen intellectûs*, *lumen rationis*.

Porrò species imaginationis duplici ratione ab intellectu agente illuminantur: 1° quatenus imaginatio, utpote intellectui conjuncta immediatè, spiritualitatem et illuminationem quamdam ex contactu suo cum intellectu recipit; unde phantasmata ejus habiliora sunt ad actum intellectionis; et 2° quatenus intellectus super ea convertitur, removetque conditiones sive notas individuantes, et ex iis elicit nudam rei *essentiam*, quæ sic abstracta evadit intelligibilis, utpote immaterialis et universalis actu effecta (1).

**92. Corollarium.** Ex quibus colligere licet phantasmata se habere ut causam *materialem instrumentalemque* intellectionis, intellectum verò ut causam *efficientem et principalem*. Phantasmata enim præbent intellectui materiam circa quam operetur, suntque veluti instrumentum quo ad operationem suam adjuvatur. Et ideo, ait Angelicus, « actionis effectus relinquitur in intellectu secundùm conditionem utriusque... et ideo intellectus recipit formas ut intelligibiles actu, sed ut similitudines *determinatas* rerum, ex cognitione phantasmatum. » (*Qq. dispp.*, q. X de *Mente*, a. 6, ad 7).

(1) Ad rem D. Thomas: « Phantasmata et illuminantur ab intellectu agente, et iterum ab eis, per virtutem intellectûs, species intelligibiles abstrahuntur. Illuminantur quidem, quia sicut pars sensitiva ex conjunctione ad intellectum efficitur virtuosior, ita phantasmata, virtute intellectûs agentis, redduntur habilia ut ab eis intentiones intelligibiles a phantasmatibus, in quantum per virtutem intellectûs agentis, accipere possumus in nostrâ consideratione naturas specierum sine individualibus conditionibus. » (1<sup>a</sup> q. 88, a. 1, ad 4).

**93. II. Intellectûs agentis existentia probatur.**

1° *Experientiâ*. — Intime namque consciî sumus nos, vi abstractionis, *ex* particularibus et præsertim *ex* sensilibus rebus ad notiones universales assurgere: v. g. ex perceptione *talis* qualitatis, qualitatem hanc in genere concipimus; occasione *illius* rei pulchræ vel bonæ, assurgimus ad *ideam* generalem pulchri et boni, quemadmodum occasione Petri, cogitamus hominem.

2° *Ratione*. — Ex probatis (n. 86), objectum proprium intellectûs humani est essentia rerum materialium, abstractâ, immateriali et universali ratione spectata. Atqui essentia rerum materialium, qualis ipsis inest, non est immaterialis et universalis in actu, sed in potentiâ tantùm, quia quidquid in rebus materialibus existit, est actualiter, sicut res ipsæ, singulare materiâque immersum: v. g. Socrates in se quidem habet humanitatem, sed humanitas in eo est singularis et individua, perinde ac ipse Socrates. Ergo requiritur aliqua facultas animæ, quæ removeat qualitates individuantes, hisque per abstractionem amotis, essentiam rerum materialium efficiat actu universalem, et ideo intelligibilem. Porrò hoc munere fungitur intellectus agens, ex ipsius definitione.

PROP. 3<sup>a</sup>: *Ad actum intellectionis exerendum requiritur intellectus possibilis.*

**94. Notio intellectûs possibilis.** Intellectus possibilis sive passivus dicitur *illa facultas quæ ex potentiâ ad actum intellectionis progreditur.*

*Dicitur 1° intellectus*, quia ipse actum intellectionis elicit, respondetque illi potentiæ quam recentes intellectum simpliciter nominant.

*Dicitur 2° possibilis*, quia intellectus humanus initio vitæ, nullam cognitionem habet, sed sensim transit ex potentiâ ad actus sibi congruentes; unde pura *potentia* in ordine intelligibili dici valet, sed veri nominis potentia; quippe revera potest intelligere, postquam objecto suo motus fuit et determinatus. — Vocatur etiam *passivus*, sive quia præsefert capacitatem *receptivam*, quæ recipere potest formas immatere-

riales rerum; sive quia in seipso recipit actum ipsum intellectionis, quem elicit. Nam, ut ait S. Thomas, « dicitur « aliquis *pati* communiter, ex hoc solo quòd id quod est in « potentiâ ad aliquid, recipit illud ad quod erat in potentiâ... « secundùm quem modum omne quod exit de potentiâ in « actum potest dici pati, etiam cùm perficitur. » (1<sup>a</sup> q. 79, a. 2, c).

Quapropter duplici munere fungitur intellectus possibilis, partimque est passivus, partim activus; passivus quidem, quatenus in sese recipere potest immaterialiter rerum formas; activus verò, quatenus intellectionis actum exercet, iudicat et ratiocinatur.

95. *Intellectus possibilis existentia probatur.*

Ut existat intellectus possibilis, tria sufficiunt, videlicet : 1<sup>o</sup> existere in homine propriam ipsi et personalem intelligendi facultatem; 2<sup>o</sup> eam non esse semper in actu cognitionis suæ, sed exire de potentiâ in actum; 3<sup>o</sup> eam ab intellectu agente realiter distingui. Atqui hæc tria constant.

96. *Inest homini intellectus personalis.*

Probatur contra Neoplatonicos, Averroistas et Cousin, licèt is errorem suum postea temperavisse videatur, qui dixerunt rationem non esse cuilibet homini *propriam ac suam*, sed *impersonalem divinamque*, sive quòd eadem in omnibus hominibus principia inveniantur, sive quòd non posset ratio assurgere ad cognitionem idearum universalium, si individua et singularis foret.

At 1<sup>o</sup> intelligere est operatio *specific*a hominis; ergo, vel homo intelligit per rationem sibi propriam ac suam, vel non est homo per naturam sibi propriam, sed per Deum formaliter, sicque vicit *pantheismus*. — 2<sup>o</sup> Quisque sibi *consci*us est seipsum intelligere, suæque intellectionis esse auctorem, haud secùs ac cæterarum suarum operationum, imo pro suo libitu posse cogitationem suam regere, ad hæc, vel ad ista intendere.

3<sup>o</sup> Præterea, *objectiones* adversariorum nihil habent ponderis. Quòd enim omnes homines in primis principiis conveniant, probat quidem ab uno eodemque Auctore eos fuisse

creatos (1), et convenire in *specie*, proinque in actione quæ sequitur speciem; minimè verò unum eundemque esse formaliter in quovis homine intellectum. « Omnia quæ sunt « unius speciei, ait Angelicus, conveniunt in actione consequente naturam speciei; cognoscere autem prima intelligibilia, est actio consequens speciem humanam. » (1<sup>a</sup>, q. 79, a. 3, ad 3).

Ex aliâ parte, si anima humana est singularis, est etiam immaterialis, ideoque adipisci potest ideas universales; quidquid enim immateriale est, ad universalia potest assurgere, quia non determinatur ad unum. — Insuper, objectum proprium intellectus hominis non existit in rebus sub formâ universalitatis actualis, sed potentialis duntaxat; quare singularitas intellectus nostri naturæ objecti sui adamussim respondet.

97. *Intellectus hominis est prius in potentiâ cognitionis suæ, et deinde transit de potentiâ in actum.* Ostendemus, ubi de idearum origine, intellectum nostrum creari nullis ideis innatis instructum, sed in potentiâ tantùm ad eas acquirendas; nunc ostendamus oportet eum transire in dies de potentiâ ad actum suæ cognitionis. Porrò, si *conscientiæ* fides, quivis homo sentit se, progressu temporis studiorumque, multa intelligere quæ prius non intelligebat, multas veritates novas addiscere, quarum nullam prius nisi *virtualem* habebat notitiam, et intellectum, acquisitis incessanter conceptionibus ulterioribus, in immensum excrescere.

98. *Intellectus possibilis ab intellectu agente realiter distinguitur.*

Ex probatis (n. 19), realiter inter se differunt potentiæ activæ et passivæ. Atqui intellectus agens est activus; quippe ipse actione suâ movet objectum suum, facitque actu universale, quod prius universale erat solùm in potentiâ; intellectus possibilis econtra passivus est, quia movetur ab objecto suo, nempe a specie intelligibili jam actu existente, et ejus vi reducitur de potentiâ in actum intellectionis. Quamobrem

(1) Cf. Balmès, *Phil. fond.*, t. II, l. iv, c. 23, n. 151; c. 25, n. 156, 157.

intellectus agens refertur ad objectum intelligibile, ut *causa* ad effectum, dum intellectus possibilis ad idem refertur tanquam ad *principium* suæ actionis. — Brevius Albertus M. : « Impossibile est idem, *secundum idem*, esse movens et motum; sed anima rationalis, secundum intellectum agentem est movens, et secundum possibilem est mota; ergo impossibile est intellectum agentem et possibilem esse idem. » (*De homine*, tract. 1, q. 53, a. 4; Cf. Aristot. *De Animâ*, l. III, c. 5, § 1) (1).

99. *Objicitur* perire unitatem intellectionis, si duplex causa ad eam eliciendam inducatur, nempe intellectus agens et intellectus possibilis. At 1° hæc duæ causæ aliter et aliter concurrunt; siquidem intellectus agens non est causa *formalis* intellectionis, sed *prævia* tantum et *efficienter disponens*; intellectus autem possibilis solus est causa *formalis* illius, ac proinde unam causam formalem habet intellectio. — 2° Intellectus agens et intellectus possibilis *simul* agunt, et actio prioris non *tempore*, sed *logicè* tantum posterioris actioni præcedit; unde iterum patet unum revera esse intelligere in homine.

100. PROP. 4<sup>a</sup> : *Ad actum intellectionis exerendum requiruntur species intelligibiles.*

Quemadmodum requiruntur species sensiles ad actum sensationis efficiendum, ita iisdemque ex causis ad actum intellectionis species intelligibiles exiguntur.

Enimvero, intellectus possibilis est in *potentiâ* ad intelligendum, et ex se prorsus indifferens ad intelligendum illud

(1) « *Necessitas* ponendi intellectum possibilem in nobis, fuit propter hoc quod nos invenimur quandoque intelligentes in *potentiâ*, et non in actu. Unde oportet esse quamdam virtutem quæ sit in *potentiâ* ad intelligibilia, ante ipsum intelligere; sed educitur in actum, cum fit sciens, et ulterius, cum fit considerans. Et hæc virtus vocatur intellectus possibilis. — *Necessitas* autem ponendi intellectum agentem, fuit quia naturæ rerum materialium, quas nos intelligimus, non subsistunt extra animam immateriales et intelligibiles in actu; sed sunt solummodo intelligibiles in *potentiâ*, extra animam existentes. Et ideo oportuit esse aliquam virtutem quæ faceret illas naturas intelligibiles in actu; et hæc virtus dicitur intellectus agens in nobis. » (*Qq. dispp. De Animâ*, a. 4, ad 8).

potius quam istud. Porro quidquid est in *potentiâ*, reducitur in actum per aliquid quod est jam in actu; ergo intellectus possibilis reduci debet ex *potentiâ* ad actum cognitionis. — Sed ad eum reduci nequit, nisi objecti cognoscendi actione et ideali conjunctione afficiatur; quia vi cognitionis, *cognitum est in cognoscente*. Atqui vel ista conjunctio fit quatenus objectum ipsum extrinsecum ingreditur intellectum; vel quatenus phantasma exhibitum ab imaginatione, intellectui conjungitur ipsumque movet ad intelligendum; vel quatenus objecti species intelligibilis in intellectu possibili recipitur, et eum ad intelligendum incitat. At duo priora dici nequeunt; ergo restat 3<sup>um</sup>.

1° Dicitur nequit objectum ipsum, juxta propriam naturam in intellectu excipi; tum quia objectum cognitum fieret unum idemque cum subjecto cognoscente, quod repugnat; tum quia, ex probatis (n. 88) objectum proprium intellectus humani est natura rerum materialium, quæ in rebus materialis est, sicut ipsæ res quibus inest; ac proinde recipi nequit per se ipsam in immateriali intellectu.

2° Dicitur nequit cum Henrico Gandavensi phantasma exhibitum ab imaginatione, fungi munere speciei relativè ad intellectum possibilem, et eum ad intelligendum incitare; tum quia, cum sit sensibile, informare nequit potentiam spiritualem, qualis est intellectus; — tum quia, cum sit singulare, representare nequit objectum immateriale et universale, quale est objectum intellectus.

Attamen species intelligibilis id habet simile cum specie sensili, quod sit æquè *objectiva*, et sit id quo, non autem id quod, saltem directè et primò ab intellectu intelligitur (1).

(1) Audiatur S. Fr. Salesius, qui concinno sermone totam theoriam scholasticam circa utramque cognitionem, sensibilem nimirum et intellectivam, mirum in modum prosequitur : « Quand nous regardons quelque chose, quoiqu'elle nous soit présente, elle ne s'unit pas à nos yeux elle-mesme, ains seulement leur envoie une certaine représentation ou image d'elle-mesme, que l'on appelle espèce sensible, par le moyen de laquelle nous voyons. Et quand nous contemplons ou entendons quelque chose, ce que nous entendons ne s'unit pas non plus à nostre entendement, sinon par le moyen d'une autre représentation et image très

PROP. 5<sup>a</sup> : *Intellectio perficitur verbo mentali, quo intellectus cognitionem suam sibi exprimit.*

101. *Notio verbi mentalis.*

Mentis verbum (1) est ipsa *conceptio quam format sibi intellectus possibilis et in quâ sibi repræsentat objectum quod intelligit.*

Ut definitio hæc illustrior habeatur, verbum mentis conferre præstat cum verbo *exteriore*, cum specie intelligibili *impressâ*, et cum specie intelligibili *expressâ*.

1<sup>o</sup> Verbum exterius in duobus constat, quippe quòd exit foras, et interiorem mentis conceptum significat. Porrò verbum mentale profertur etiam, vocis instar, sed profertur intra mentem, et est conceptio ipsa rei intellectæ. — Quare priùs et principalius *verbum* dicitur quàm verbum vocis, cum illud non adhibeatur nisi ad verbum internum exterius proferendum ac significandum, et rem intellectam secundariò et indirectè tantum significet.

2<sup>o</sup> Verbum mentis duplici ratione *differt* a specie intelligibili *impressâ*; hæc enim 1 producitur ab intellectu agente,

« délicate et spirituelle, que l'on nomme espèce intelligible. Mais encore, ces espèces, par combien de destours et de changements viennent-elles à nostre entendement? Elles abordent au sens extérieur, et de là passent à l'intérieur, puis à la phantaisie, de là à l'entendement actif, et viennent enfin au passif, ce que passant par tant d'estamines et sous tant de limes, elles soient par ce moyen purifiées, subtilisées et affinées, et que, de sensibles, elles soient rendues intelligibles.

« Nous voyons et entendons ainsi tout ce que nous voyons ou entendons en cette vie mortelle, oüy mesme les choses de la foy. Car, comme le miroir ne contient pas la chose que l'on y void, ains seulement la représentation et espèce d'icelle, laquelle représentation arrestée par le miroir, en produit une autre en l'œil qui regarde : de mesme la parole de la foy ne contient pas les choses qu'elle annonce, ains seulement elle les représente; et cette représentation des choses divines qui est en la parole de la foy en produit une autre, laquelle nostre entendement, moyennant la grâce de Dieu, accepte comme représentation de la sainte vérité. » (*Traité de l'amour de Dieu*, l. III, c. XI).

(1) Quia verbum intellectus magnam analogiam habet cum Verbo divino, ducitque ad illius aliqualem notionem capiendam, de ipso luenter dixerunt Ecclesiæ doctores, imprimis S. Augustinus, S. Anselmus, et S. Thomas. Lege opusculum XIV D. Thomæ, *De naturâ Verbi intellectus*, et opusc. XIII, *De differentiâ Verbi divini et humani*.

verbum autem mentis ab intellectu possibili; et 2 hæc recipitur in intellectu possibili eumque *incitat* ad intelligendum, proindeque verbum mentis est quodammodo effectus ejus, et terminus actionis intellectus.

3<sup>o</sup> At species intelligibilis *expressa* sive *idea*, a verbo mentis non *re*, sed *logicè* tantum distinguitur. Etenim idea nihil aliud est nisi objecti cogniti mentalis repræsentatio. Atqui repræsentatio illa vocatur verbum mentis.

Attamen species intelligibilis *expressa logicè* differt a verbo mentis; quia idea directè ad objectum cognitum refertur, quin indicet relationem ad mentem ex quâ procedit; idea quippe est ipsamet imago objecti. Econtra, verbum directè ordinem habet ad mentem a quâ profertur, indirectè autem ad rem intellectam, quam repræsentat.

102. *Probatur intellectionem verbo mentali exerci.*

1<sup>o</sup> *Experientiâ*. — Nam omnis homo duplex illud factum in seipso experitur: quisquis *imaginatur*, rei quam imaginatur habet speciem, et quisquis *intelligit*, rei quam intelligit animo habet speciem, in quâ rem ipsam sibi repræsentat ac tacitus recogitat.

2<sup>o</sup> *Ratione*, quia intellectus nequit aliquid intelligere, nisi intra se concipiat id quod de objecto intelligit, sicque notionem formet quâ sibi repræsentet objectum, quatenus cognitum. Porrò interna ista conceptio verbum vocatur.

103. *Corollarium 1<sup>um</sup>*. In verbo mentis, res cognita cernitur velut in *speculo*; at intellectus non *directè* et *primò* speculum inspicit, sed objectum in speculo refulgens, ad quod videntum speculo provocatur. — Verbum tamen *secundariò* mente inspicere potest; quemadmodum si coram te consisteret speculum, famosæ vel amicæ personæ speciem referens, profectò non primò speculum, sed in speculo personam descriptam, et deinde speculum adspiceres.

104. *Coroll. 2<sup>um</sup>*. Ex *processu* ipso cognitionis intellectualis idearum nostrarum *objectivitas* planè *confirmatur*. Quippe verbum sive conceptio, quæ est terminus intellectionis, procedit a specie intelligibili *impressâ* estque ipsi similis; at species impressa procedit ab intellectu agente, qui eam ex



phantasmate format; phantasma autem excipitur ab imaginatione, quæ suas imagines ex sensibus externis colligit; sensus demum externi res ipsas *immediatè* intuentur. Ergo *a rebus* ipsis *incipit* motus, qui per continuatam nexu perpetuo causarum seriem, ad intellectum demum terminatur.

§ IV. — De naturâ intellectionis, ejusque discrimine a sensatione.

105. I. *Natura intellectionis.* — Ex probatis de intellectu agente et possibili, concludere licet intellectionem *activam* simul ac *passivam* esse, *potiùs* tamen activam quàm passivam. Nam quatenus ab intellectu agente initium habet, est omnino activa, cùm intellectus agens actione suâ objectum suum disponat faciatque actu intelligibile; quatenus verò intellectus possibilis speciem intelligibilem recipit, et eâ movetur ad intelligendum, præsertim passiva est; demum intellectus possibilis ipse, cùm ad objectum sese *convertit*, et intellectionem verbo interiori *exprimit* sibi, propriam activitatem exercet.

106. *Corollarium.* Hinc sequitur recentes erravisse, quorum alii cum Cartesio, Malebranchio et Rosminio voluerunt intellectum duntaxat passivum esse meramque receptivitatem; alii contrà, Kantianos secuti, fecerunt intellectum duntaxat activum. Scilicet priores, putant ideas esse aut species quasdam a Deo menti nostræ infusas, aut ipsum Deum menti sese *immediatè* manifestantem, quin ea quidquam sui in hac visione conferat. Posteriores verò asserunt objecta suæ cognitionis ab animâ vel *creari*, vel saltem *construi* et cogitationem confundi cum ipsâ re seu veritate.

Porrò, missis argumentis, quibus theoriam scholasticam probavimus, contra priores sic arguimus: Intellectionem ab animæ actione procedere testis est sensus communis et ipsa conscientia. Sentimus enim quantum a nobis *laborem* exigat opus intellectuale; quod etiam vocari solet *conceptio*, vel *partus animi*.

Contra posteriores, en argumentum: Si intellectus solus

cognitiones suas construit sibi, quin res externas et naturam exploret, ergo scientia non est objectiva, et conceptiones nostræ non versantur nisi circa ideale.

107. II. *Discrimen intellectionis a sensatione.* Hoc porrò ex triplici parte repeti potest, nimirum ex parte *subjecti*, ex parte *objecti*, et ex parte *modi* quo apprehenditur objectum a subjecto.

1° Sensus est potentia organica, intellectus autem potentia spiritualis; deinde sensus est magis passivus quàm intellectus, quia movetur ab objecto suo actu existente, dum intellectus agens objectum suum reddit actu intelligibile.

2° Sensuum objectum nihil nisi materiale et singulare exhibet, sed objectum intellectus est immateriale et universale (1). — 3° Intellectus in objectum suum fertur multis ac diversis actibus, iudicio nempe, ratiocinio et reflexione, quæ omnia sensibus minimè conveniunt.

## ARTICULUS II

### De diversis intellectus functionibus et actibus.

#### 108. *Ratio et numerus variarum intellectus functionum.*

« Cùm virtus, ait D. Thomas, quantò est immaterialior, tantò ad plura se extendat, unam potentiam nihil prohibet habere plura officia, in parte intellectivâ. » (*Qq. disp. de Verit.*, q. 15, a. 2, ad 7). Quanquam varia hæc officia ad verum singula ordinantur.

Porrò intellectus non solùm primo intuitu certas notiones assequitur, sed alias cum aliis per *judicium* comparat, de aliis in alias *ratiocinando* discurrit; cognitiones suas ad *opus* applicat; quæ semel apprehendit, in seipso *servat*, sui que ipsius per reflexionem acquirit *conscientiam*. Quæ sigillatim breviter describere operæ est.

(1) Quamobrem specifica intellectus nota est *universalitas*: « Differt sensus ab intellectu, quia intellectus est universalium, quæ sunt ubique et semper; sensus autem est singularium ». (S. Th. *De sensu et sensato*, lect. 1°).